



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Vt membra nostra in Christu[m] transformentur. 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

num bonum duntaxat appeteret & sanctę Tę-  
nitatis habitatio fieret.

Qualiter in corpore dominum nostrū se-  
quamur, & omnia membra nostra in  
ipsum transformari & manere debe-  
ant. Cap. VI.

**D**Eniq; si corpus nostrum Dei esse habita-  
culum debeat, profecto carnem nostram  
cum omni sensualitate sua crucifixam &  
mortuā esse oportet, ita vt totus homo in Chri-  
stum sit transformatus: vt videlicet tres vires su-  
preme in Deum sint subleuatae, eiusq; thronus  
existat: & vires inferiores sint sedes illius, & cor-  
pus habitatio ipsius, omniaq; membra nostra il-  
li vniantur, ita vt aures nostrę nihil pręter diui-  
nas inspirationes audire desiderent, oculi rebus  
omnibus terrenis sint clausi, os continue in Dei  
laudibus occupetur, cor omnibus inutilibus oc-  
cupationibus claudatur & Deo aperiatur, ma-  
nus sanctis obediętię operibus vacent, brachia  
ad crucem extendantur, corpus mundum ac pu-  
rum ab omni peccato seruetur, genua in Deo ob-  
sequio flectantur, pedesq; cruci affigantur: ita vt  
nusquam ire libeat, pręterquam in Christi ve-  
stigijs, eius videlicet humilitatem, benignitatē,  
& virtutes alias imitando. Quantum enim Chri-  
stum intus in spiritu & anima, & foris in corpo-  
re sequimur, tātum etiam ipsum induimus. Por-  
ro, si etiam anima nostra conueniens Dei habi-  
tatio, & decora eius spōsa esse debeat, Deum su-  
um rogare habet, vt primam innocētiām illi re-  
stituatur, cunctisq; se virtutibus exornet: quatenus  
cōcupiscibilis ex mortificatione viua, & ex pau-  
peritate

## LIBER III

peritate diues, rationalis ex simplicitate prudēs,  
 & irascibilis ex patientia hilaris, & ex humilita-  
 te sublimis efficiantur. ¶ Cum ergo sic sese ani-  
 ma habuerit, tunc Christus dominus in ea velut  
 rex in regno suo præsidens, cunctas illius vires  
 gubernat. Et tunc spiritus noster est cœlum, ani-  
 ma paradisus, & cor palatiū, in quo virtutum  
 omnium flores germinant. Christus enim sol iu-  
 stitiæ ipsum seruidum atq; fœcundum efficit. Et  
 hic sponsus sponsæ dicit: Hortus conclusus es so-  
 ror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.  
 Et ipsa: Quid enim habeo, quod nō accepi? Aut  
 quid est in me, quod tu non conserues? Tu enim  
 ipse es fons & abyssalis puteus. Tu es omnia in  
 omnibus, vt tuus Apostolus ait: Sane ex me ni-  
 hil habeo, sed gratia tua sum id, quod sum.

Qualiter Deum adorare, & imaginē Chri-  
 sti intus exteriusq; nobis imprimere de-  
 beamus.

Cap. VII.

Ipsa per semetipsam veritas ait: Spiritus est  
 Deus, & eos, qui adorant Deum, in spiritu &  
 veritate oportet adorare, non solum exteriori  
 modo, neq; in sensibus tantum per modum dele-  
 ctationis. Quid ergo, dicit aliquis: Num omnes  
 imagines mihi interdicas? Nequaquam. Magis  
 autem vnam quandā imaginē tibi imprimere  
 volo, videlicet vt sæpe teipsum in interioribus  
 tuis totaliter in cor paternū eleues, & ibi illam  
 forma carentem imaginem, verbum videlicet  
 æternum, quod pater cœlestis ex diuinitatis suæ  
 abyfso exculpfit per modum speculi (quatenus  
 videlicet omnes animę tuæ vires penetret ac per  
 transeat) sumes, ita vt siue comedas, siue bibas,  
 eas.